

arx. Hujusce ipsius in alveum è navibus nostris subducta ad hiemem minor; in Borbonium utpotè altiore, subducta major; obsessi tum angli, ultro se dedunt, etiam pudendis conditionibus. Continuò actæ Deo solemni ritu gratiæ; erecta crux sublimis, barbarâque hâc in regione adoratum tandem venerandum x^{ti} vexillum.

Ex quo autem hic versamur, omninò non cessavi: quod efficere tria maximè, concessa à Summo Pontifice plena ad morem anni Jubilæi indulgentia: Paschales feriæ, quæ obvenerunt interea, tum denique exorta contagies. Quare ut omnium pietatem accenderem, accensæ facerem satis, ut ægris adessem, modo ad majorem, modo ad minorem navim, aut arcem interdum currendum fuit, non sine summis laboribus. Sæviebat acutum suprâ cogitationem frigus, via per dumos, nives, paludosam terram, quæ gelu malè solidata, vestigia passim fallebat, pedes, crura secabat; cubandum fuit sub dio; tentavit me interea febris, necnon et communis morbus, quibus non cedendum tamen existimavi, maximè ne deessem ægris.

Ergo ægrotaverunt multi, obiëre viginti quatuor, quos omnes præter unum et alterum, ecclesiæ sacramentis munivi. Ex his nautæ quatuor, ejuratâ prius calvini hæresi. Hactenùs de Gallis; nunc ad naturam loci et indigenas.

Sita arx ad 57 gradum latitudinis; hyems hic pænè continua, puta in septembri ad junium. Quo